

Si matrimonium petunt una pars catholica et altera quae fidem abjecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae adscripta est, quando parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet ne ex dengata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad episcopum qui, inspectis omnibus casus adjunctis, permettere poterit ut parochus matrimonio passive intersit, tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae proliis aliquis similibus condicionibus. Hanc normam quam eis jam alicui episcopo praestituerat, S. Off. 13 Jan. 1899 ad omnes episcopos extendi posse decrevit, probante Leone XIII.

Tandem si una pars ad franco-muratores aliamve sectam a S. Sede reprobata (n. 596) perlinet, eadem norma applicari posse videtur, cum cit. resp. 13 Jan. 1899 universe loquatur de iis omnibus qui, licet fidem abjecerint, nulli tamen sectae haereticae adscripti sint. Regulariter hujusmodi matrimonia celebranda erunt sicut matrimonia mixta (n. 519) prout innuunt verba ejusdem responsi : " Parochus matrimonio passive intersit, tamquam testis *authorizabilis*. " Attamen non videtur adempta episcopo facultas concedendi ut ad vitandum scandalum aliudve grave incommodum benedictio nuptialis impertiatur vel Missa nuptialis celebretur. Etenim 21 Febr. 1883 S. Off. responderat de eodem casu : " Omnino excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando adjuncta maliter exigant. " Cfr. Lehmk. II. n. 714. Neque diserte de hoc casu moralis necessitatis loquitur decretum 13 Jan. 1899.

464. IV. Ritus celebrandi matrimonii sacramenti reperitur in Rituali Rom. (tit. VII. c. 2) Attamen Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) declarat : " Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caerimonii hac in re utuntur, eas omnino retinere S. Synodus vehementer optat. " Igitur nihil prohibet quominus Rit. Rom. praescriptiones aliquatenus modificantur pro locorum consuetudine. Qua de re cfr. Pastoralia dioecesana.

Praeter hunc ritum, impertienda est regulariter in omnibus matrimoniis catholicorum sollemnis **benedictio nuptialis**, quae in Missa pro Sponso et Sponsa reperitur, neque ab ea avelli potest. Sacerdos qui sponsos conjungit, juxta mentem Conc. Trid. (l. c.), hortari debet conjuges ut illam benedictionem accipiant. Ipsi impertienda est, juxta resp. S. Inqu. 31 Aug. 1881 " etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. " (Coll. P. F. n. 1560) Ipsi nupturientes, juxta communem sententiam (S. Alph. n. 988), sub levi tenentur ad hanc benedictionem petendam. Attamen haec sententia nullo solidi fundamento niti videtur. Nam e locis Decreti Gratiani, quae a pluribus allegantur, contrarium potius eritur. Sic Nicolaus I c. *Nostrates* (causa 30. q. 5) sic concludit : " Peccatum autem esse si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis. " Scandalum vero, ad quod alii (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 21. n. 36) unice recurrunt, ratio extrinseca est, et quae saepe abesse potest. Quare per se nullam strictam obligationem esse opinamur hujus benedictionis intra Missam recipienda. Ita sentire videtur S. Inqu. (resp. cit.) dum addit " *hortandos* esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant ", et S. C. R. interrogata utrum haec benedictio sit preeceptiva an facultativa, 9 Maii 1885 ad idem responsum remisit. (Coll. P. F. n. 1561)

mento niti videtur. Nam e locis Decreti Gratiani, quae a pluribus allegantur, contrarium potius eritur. Sic Nicolaus I c. *Nostrates* (causa 30. q. 5) sic concludit : " Peccatum autem esse si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis. " Scandalum vero, ad quod alii (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 21. n. 36) unice recurrunt, ratio extrinseca est, et quae saepe abesse potest. Quare per se nullam strictam obligationem esse opinamur hujus benedictionis intra Missam recipienda. Ita sentire videtur S. Inqu. (resp. cit.) dum addit " *hortandos* esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant ", et S. C. R. interrogata utrum haec benedictio sit preeceptiva an facultativa, 9 Maii 1885 ad idem responsum remisit. (Coll. P. F. n. 1561)

De loco quo matrimonium celebretur, nullum strictum preeceptum dat Rit. Rom. (tit. VII. c. 1. n. 16) : " Matrimonium in ecclesia maxime celebrari *debet*. " Quandoque tamen statuta dioecesana vetant ne, absque Ordinarii licentia, extra ecclesiam celebretur.

V. Contractum matrimonium parochus manu sua adnotare debet in libro ad hoc destinato, etiamsi aliis sacerdos, ab ipso vel ab Ordinario delegatus, matrimonium celebraverit. Id enim jubet Rit. Rom. (tit. VII. c. 2. n. 6), juxta statutum Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) : " Habeat parochus librum in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat. " In hoc libro mentio facienda est dispensationis quae pro foro externo obtenta fuerit, seu pro impedimentis publicis. Nihil vero adnotandum de dispensatione quae tantum pro foro interno, seu pro impedimentis occultis concessa fuerit. Cfr. n. seq.

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§ 1. DE IMPEDIMENTIS IN GENERE.

465. NOTIONES. Impedimentum matrimonii in genere definiri potest : defectus alicujus condicioneis a competente lege pro validitate aut pro liceitate matrimonii requisitae. (Aichner, op. cit. § 166)

Plures divisiones impedimentorum illorum a Canonistis afferri solent, quae vel ex ipsa eorum denominatione facile intelleguntur aut ad forum externum potissimum referuntur. Pro scopo nostro, indicabimus tantum divisiones :

1º In *dirimentia et mere impedientia*. Priora matrimonium, iis obstantibus, contractum irritum, posteriora, dumtaxat illicitum efficiunt.

2º In *publica et occulta*. Quae divisio ut rite explicetur, distinguendum est simul inter naturam rei et factum.

Natura sua publica sunt illa impedimenta quae nullam infamiam ingerunt et plerumque haud aegre probantur, ex. gr. consanguinitas, affinitas e copula licita. Ex adverso, ob infamiam quam secum trahunt et probationem plerumque difficilem, *natura sua occulta* dicuntur impedimenta criminis et affinitatis e copula illicita.

De facto publica sunt impedimenta quae, licet forte natura sua occulta sint, majori parti civitatis, paroeciae, communitatis innotuerunt, sive per evidentiam facti, sive per famam ex indiciis et praesumptionibus ortam vel quae, ob numerum aut qualitatem eorum quibus nota sunt, brevi evulganda praevidentur. Quaenam *de facto occulta* dicenda sint, non ita inter DD. convenit. Ex praxi S. Poenitentiariae, quae hic potissimum spectanda venit, quaedam vocantur simpliciter *occulta*, quaedam *omnino occulta*. Haec sunt quae per duos testes probari nequeunt; illa quae merito sperantur non esse divulganda, licet paucis personis, puta ad summum septem vel octo, innotuerint. (Feye, n. 86 seqq. ; De Becker, p. 51)

466. ASSERTA. I. Ecclesia jure proprio statuere potest impedimenta, etiam dirimentia, matrimonii pro fidelibus.

Ita definivit Trid. (Sess. 24. can. 4) : " Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. " Hanc facultatem Ecclesiae competere jure proprio, non autem ex concessione principum civilium, jam ex isto canone satis constat, et confirmatum est ex damnata in Syllabo Pii IX prop. 69^a : " Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa quod a civili potestate mutuata erat. " Hinc idem a fortiori patet de impedimentis mere impedientibus.

Igitur impedimentis ab Ecclesia statutis subjacent omnes qui per baptismum ejus subditi facti sunt. Cfr. Vol. I. n. 94. II. Iis ergo afficiuntur etiam haeretici et schismatici. Idem liquet e pluribus documentis Pontificiis in quibus edicitur vel supponitur irrita esse haereticorum matrimonia quibus obstiterit aliquod impedimentum juris ecclesiastici. Sic Bened. XIV, ubi declarat in Const. Matrimonio (4 Nov. 1749) valere in

locis Foederatorum Ordinum matrimonia clandestina haereticorum (n. 500), hanc restrictionem ponit : " Dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum. "

II. Potestas civilis nulla impedimenta dirimentia matrimonium fidelibus statuere potest; idem omnino tenendum censemus de impedimentis mere impedientibus.

Hanc doctrinam de impedimentis dirimentibus hodie catholici omnes, tamquam certam, tenent. Dubia enim quae e sententia quorundam antiquiorum Theol. oriri poterant, sustulerunt tum praxis S. Sedis, quae constanter tamquam valida agnovit matrimonia a fidelibus inita contra leges civiles regionis quibus irrita habebantur, tum varia RR. PP. documenta. Videsis Feye, op. cit. n. 48. Sufficiat citare Pium VI (Epist. ad Episc. Motulensem 16 Sept. 1768) : " Hinc fit ut ad solam Ecclesiam... jus omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ...ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium ferre. " et Leonem PP. XIII (Encycl. Arcanum) : " De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestalis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. "

Aliqui AA. etiam recentes (ut Aichner, op. cit. § 155) civili potestati agnoscent facultatem statuendi impedimenta mere prohibentia pro fidelium matrimonii. Verum hic quoque valet ratio mox allegata ex Encycl. litt. Arcanum Leonis XIII, qui eamdem doctrinam diserte tradit in Epist. ad Episc. Prov. Venetae 8 Febr. 1893 (Act. S. S. t. 25. p. 459 seqq.) ubi : " Quaevis alia potestas, praeter illam ad quam hujusmodi administratio spectat, de condicionibus ad matrimonium rite ineundum necessariis... tum denique de ceteris rerum adjunctis, ex quibus perficitur ut matrimonium ipsum honeste ac sancte celebretur, judicium ferre nec potest, nec debet. " Quomodo autem Status effectus civiles matrimonii christianorum agnoscerre debeat, declarat R. P. (eadem epist.) : " Civilem potestatem civiles conjugii effectus statuere ac disponere quidem posse : sed quod ipsum matrimonium proxime spectat, Ecclesiae sanciendum relinqui oportere : profiteatur eadem laica potestas verum ac legitimum matrimonium esse quod a Christo Jesu institutum fuit et ab Ecclesia reapse proponitur; indeque ad effectus, qui ex civium conjugii in civili consortio consequuntur, sive denegandos, sive concedendos procedat. " Hinc nulla est in conscientia obligatio abstinenti a matrimonio quod sola lex civilis prohibet. Attamen, ne ipsi conjuges vel eorum proles gravia detimenta patientur, ne turbis ansa detur, etc., condiciones a lege civili requisitae regulariter implenda erunt, dummodo nihil illicitum in se contineant. (Feye, n. 72 ; De Becker, p. 37)

467. III. Potestati civili competit facultas ponendi impedimenta non tantum prohibentia, sed etiam dirimentia matrimonium infidelium.

Hanc doctrinam veteres Canonistae tamquam certam et communem tradebant. (Schmalzgr. in Decr. I. 4. t. 1. n. 367) Rationem afferunt: matrimonium infidelium non esse sacramentum, sed contractum civile, cui proinde princeps certam formam, condiciones et sollemnitates praestituere potest, sub poena nullitatis servandas, sicut pro reliquis contractibus facere potest et solet. Ab hac sententia recessere plures recentiores, nisi praecipue sacro charactere quo matrimonium etiam infidelium a reliquis contractibus discrepet, ac proinde civilis potestatis auctoritati subducatur. Haec tamen ratio inefficax videtur: nam etiam alia quae sacrum characterem habent, puta juramentum, civili auctoritati, quoad plurimas determinationes bonum sociale spectantes, subjacent; deinde ipsa necessitas communis boni postulat ut matrimonii infidelium a principe civili apponi possint quaedam impedimenta, cum ab Ecclesia apponi nequeant, a communi autem utilitate prorsus postulentur. (De Becker, p. 42 seqq.) Igitur, dummodo constet vim legis scriptae vel consuetudinariae inter infideles vigentis esse ut matrimonium quoddam ob rationabile impedimentum nullum sit, licet ea doctrina uti ad aliud matrimonium neo-conversis permittendum: quam regulam et ipsae SS. CC. Inqu. et de Prop. Fide quandoque secutae sunt et tamquam tutam normam Missionariis transmisere. (Coll. P. F. nn. 1308, 1447, 1449) Accedit ratio desumpta e favore fidei, ut in casu simili dicetur n. 497. Cfr. Gasparri, Tract. can. de matr. n. 285 seqq.

IV. Impedimenta dirimentia matrimonium invalidum reddunt, etiamsi a contrahentibus invincibiliter ignorantur: veram enim inhabilitatem ad contrahendum inducunt, neque, generatim saltem, per modum poenae statuuntur.

Attamen plures putant impedimentum criminis habere rationem poenae, ideoque ab ignorantibus non incurri: de qua controversia dicetur n. 486. **IV.** Quidam veteres DD. idem de impedimento affinitatis e copula illicita existimabant. Verum hodie nemo dubitat quominus sub regulam generalem cadat. **Et merito:** nam in hoc impedimento, praeter scelus puniendum, habetur personarum propinquitas e sanguinis commixtione oriunda et impedimentum inducens, etiam quando e copula licita provenit. (Ball. P. n. 1054)

468. V. Regulariter urgent impedimenta dirimentia etiam ubi ad matrimonium contrahendum stimulat metus gravium malorum: haec enim per dispensationem plerumque vitari poterunt. Sed probabiliter excipiendi sunt:

1º Casus qui *perplexus* dici solet, nim. cum, omnibus jam ad nuptias paratis sponsisque ad ecclesiam profecturis, parochus detegit impedimentum cuius dispensationem jam tempore opportuno obtainere nequeat, talisque naturae ut nuptiae sine scandalo vel infamia differri non possint. Manifestum est hunc casum minime obtainere, quando detegitur impedimentum natura sua publicum, puta consanguinitatis: quippe quod absque ulla sponsorum infamia revelari possit. Ubi vero impedimentum occultum est, neque sine sponsorum infamia revelari potest, probabile est cessare legem impedimentum inducentem, quia in casu evaderet noxia et scandala gigneret. (Vol. I. n. 127) Quare, si uterque contrahentium in bona fide versatur, poterit parochus a monitione abstinere; quamquam ad majorem securitatem prodest, contracto matrimonio, quamprimum a S. Poenitentiaria dispensationem vel sanationem in radice petere. (S. Alph. n. 613; Ball. P. n. 1410) Sed si unus nupturientium in mala fide est, non videtur cessare impedimentum, cum nemini sua fraus patrocinari debeat. Quare parochus vel confessarius hanc partem moneat ut consensum simulet (n. 124) vel tribuat tantum sub condicione dispensationis obtainendae, et interim a petendo vel reddendo debito abstineat. Similiter agendum si ambo essent impedimenti consci (Ball. P. l. c.), vel si quis non auderet tamquam probabilem habere sententiam juxta quam, supposita bona fide in utroque, cessat impedimentum.

2º Casus pariter rarus in quo, post contractum matrimonium, unus conjugum detegit impedimentum juris tantum ecclesiastici, et ab altera parte, metu gravissimorum malorum, puta diffamatio, vulneratio, etc., ad matrimonium consummandum adigitur. Probabile est tunc cessare impedimentum, dummodo agatur de impedimento a quo, saltem in foro interno, dispensari soleat, tempus vero deficiat ad dispensationem obtainendam. (Lehmk. II. n. 826 seqq.; Ball. P. n. 533) Ratio deducitur e probabili cessatione impedimenti in casu *perplexo*: hic enim timentur mala multo graviora, et praecipue periculum culpae mortalis cui objiciatur putatus conjux. Maneret tamen obligatio recurrendi statim ad legitimum superiore, tum ut pro cautela certior fiat dispensatio, et, si forte publicetur impedimentum, manere possit conjugium, tum ut criminis (si quod admissum est) justa poena subeat. Manifestum est a debito tum petendo, tum reddendo abstinendum esse donec dispensatio obtenta fuerit, si minus gravia mala timentur, vel si uxor se ab importunitatis mariti sollicitationibus tueri potest praetextu valetudinis, itineris et similibus.

469. VI. Matrimonium cum impedimento dubio inire certe non licet, antequam diligens examen institutum fuerit, ut per se patet. Quod si, examine instituto, manet dubium, distinguendum est inter impedimentum juris naturalis vel divini, et impedimentum juris tantum ecclesiastici.

Si impedimentum est juris *naturalis* vel *divini*, non licet inire matrimonium : nam sic sacramentum ministraretur cum opinione tantum probabili de ejus valore (n. 116), neque Ecclesia hunc defectum supplere potest. Cfr. dicenda de impedimentis ligaminis (n. 493) et impotentiae (n. 505) : nam fere in his tantum casus practicus est.

Si impedimentum est juris *tantum ecclesiastici*, ulterius distinguendum venit inter dubium juris et dubium facti. Prius habetur cum dubitatur num factum de quo constat, continetur sub jure irritante ; posterius, cum dubitatur num reapse in casu occurrat quod de se impedimentum certo parit, puta consanguinitas. Igitur *in dubio juris* licet contrahere : Ecclesia enim, ex antiquissima consuetudine, praesumitur supplere defectum, ea ratione qua de jurisdictione in sacramento poenitentiae dictum est. (n. 331) *In dubio facti* contrahere non licet. Ecclesia enim in hoc casu non solet supplere, ut liquet ex ejus praxi separandi eos qui cum impedimento dubio contrixerint, si postea constat impedimentum reapse adfuisse. Igitur qui cum tali dubio contraheret, matrimonium periculo nullitatis exponeret. (S. Alph. n. 902) Plures (Sanch. de Matr. I. 8. disp. 6. n. 18 ; Ball. P. n. 537) censem manere libertatem contrahendi quando dubium est *insolubile*, ex. gr. quando dubitatur de gradu consanguinitatis et prorsus desunt testes et instrumenta. Hanc tamen opinionem parum probabilem censem, cum vix constare possit hoc dubium reapse esse insolubile, et praesto sit medium quo dubium removatur, vid. recursus ad dispensationem. Quare non videtur sufficiens fundatum asserendi Ecclesiam tunc relinquere homines suaee libertati.

VII. Regulariter valet matrimonium contractum cum **impedimento mere existimato**, reapse non existente. Nam fere semper matrimonium iniens intendet contrahere quantum potest, quamvis simul aliquod dubium de valore foveat : deficiente igitur obstaculo, valide matrimonium inhibet. Immo idem plerumque dicendum erit si quis (quod raro fiet) immerito existimans certo adesse impedimentum, nihilominus velit inire matrimonium pro casu quo in sua existimatione erraret. Invalidum ergo matrimonium foret tantum quando aliquis, nullatenus sperans deesse impedimentum, nihilominus contraheret : is enim nequirit velle verum matrimonium, quod sibi in casu prorsus impossibile existimaret, sed merum concubinatum. (Ball. P. n. 935)

§ 2. DE IMPÉDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN SPECIE.

470. Nonnihil dissentunt AA. de numero impedimentorum dirimenti et de ordine quo explicanda veniunt. Sequemur numerum et ordi-

nem apud Theologos Morales post Busembaum et S. Alphonsum maxime usitatos : sic enim facilius Institutiones nostrae cum aliorum doctrina conferri poterunt.

Quindecim distinguemus impedimenta dirimentia, quorum nomina et ordo ut memoriae mandentur juvant triti versiculi :

I. Error, II. Condicio, III. Votum, IV. Cognatio, V. Crimen,
VI. Cultus disparitas, VII. Vis, VIII. Ordo, IX. Ligamen, X. Honestas,
XI. Aetas, XII. Affinis, XIII. si Clandestinus, XIV. et Impos,
XV. Raptave sit mulier, nec parti redditia tutae.

Attamen, ob nonnullam similitudinem quam impedimenta affinitatis et publicae honestatis cum impedimento cognitionis habent, hujus explicacioni statim subjiciemus quae de illis dicenda veniunt, rati studiosa ita facilius percepturos esse horum trium impedimentorum similitudinem vel disparitatem.

I. IMPEDIMENTUM ERRORIS.

471 I. Error substantialis matrimonium, sicut quilibet contractum (Vol. I. n. 589), irritum facit, etiamsi esset crassus vel mere concitans.

In matrimonio autem error est substantialis :

1º Si versatur circa ipsam personam quacum contrahitur, ut cum Jacob pro Rachel data est Lia. (Gen. XXIX, 23) Matrimonio enim essentialis est conjunctio duarum personarum determinatarum (Suppl. q. 51. a. 2), ideoque persona est substantiale hujus contractus objectum.

2º Si error, quamvis versetur circa qualitatem, tamen in errorem personae redundat : quod contingit quando error versatur circa personae alias ignotae qualitatem quae sit omnino singularis, certum individuum denotans, ut si quis consentiat cum primogenita et dein adducatur secundogenita, vel cum qualitas aliqua est unicus finis matrimonii, ita ut unice tamquam medium assumatur ad obtinendam illam qualitatem tamquam finem. Deficit enim consensus, qui non fertur in personam nisi praeditam qualitate illa speciali intenta. (Reiff. in l. 4. Decr. t. 1 n. 343)

3º Si consensus alligatur existentiae illius qualitatis quae falso inesse creditur, ut si quis expresse nollet contrahere cum Sempronio nisi esset dives, virgo, etc. Reapse tunc incidimus in casum, supra (n. 458) explicatum, matrimonii contracti sub condicione quae cum veritate non congruit. Adverte ad hoc requiri ut intentio apponendi talem condicionem sit actualis vel virtualis, minime vero sufficere ut sit habitualis. Quare